

DISSE¹⁹RAT¹⁹O INAUGURALIS MEDICA
DE
FULMINE TACTIS
QUAM
DIVINIS SUB AUSPICIIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
*SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI*
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM
UNIVERSITATE
SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT
JOH. GUILIELMUS VOLLMAR
ROETELA-DURLACUS
AD DIEM XXIV. AUGUSTI A. R. S. MDCCCLXV.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Typis JOH. HENRICI HEITZII, Univ. Typ.



ANTI-LUCRETIUS L. V. v. 494. & sqq.

*Dispersa latent, nam semina flammæ
Nimboſ inter aqua multoque bitumine ſætos
Quæ ſimul ac media glacieſ in nube coēgit ;
Aëre densato penitus ; vertigine magna
Volvuntur ; fervens accendit igne bitumen ,
Perrumpit ſtrepitū borrendo ; ſimul intonat aether
Concuſſus : qua facta via eſt ſinuosa ſagitta
Pervolat , & minimoſ penetrat ſubtilis hiatus.*



§. I.

A ttolluntur quotidie blando atmosphæræ calore, in auram variæ variorum corporum naturalium exhalationes; copiosius quidem illo tempore, quo magis fervidi solis radii sub æstate eundem adaugent; tum sub specie tenuissimi vaporis ascendunt, partes volatiliores sulphureæ oleosæ eorundem. Hæcce in atmosphæra dispersæ, nec continuæ hærentes, partitis vicibus incenduntur variis modis, vel motu & attritu partium ad se invicem, vel effervescentia cum alia in ære hærente substantia, vel electricitate, qua nonnunquam atmospharam nostram plenissimam esse nostris temporibus conjectum est, vel ab ipsis Solis radiis, veluti in speculis cauisticis. Accensas hasce exhalationes quounque jam illud contingat modo, si formant flamman magnam, admodum lucidam, quaqua versum late explicitam, repente, in sublimi emicantem desidentemque, ita, ut momentanea tantum sit, nullo coniuncto tonitru vel fragore, cœlo sereno, æque ac cum nubibus tenuibus parvis MUSSCHENBROECK *Introd. ad Philos. nat. T. II. p. 1069. §. 2518. fulgura, fulgetra, fulgurationes* vocari, rarissimeque rebus terrestribus

tribus damnosas observari dicit; Germani appellant **dass Wetterleuchten**; Galli *des éclaires*. Si vero formant flam-
mam fulgentissimam, e nubibus densis, atris prorumpen-
tentem cum insigni subsecente fragore, Physici illud
fulminare & tonare dicunt. IDEM §. 2521. l. c. tunc
venti velut agmine facto, qua data porta ruunt, & ter-
ras turbine perlant; eripiunt subito nubes, coelumque
diemque hominum ex oculis, terrae nox incubat atra, in-
tonant poli & crebris micat ignibus æther, præsentem-
que vivis intentant omnia mortem. Sub hoc rerum sta-
tu dicunt tempestatem *ein Gewitter, un Orage* adesse;
cujus uti in genere ratione rerum terrestrium miri sunt &
stupendi sane effectus, sic ille in primis attentionem pe-
cularem Medici meretur, quo Fulmina mortalibus fuit
fatalia, quem quidem, quomodo contingat, quantunque
hanc fatalitatem ars vel corrigeret vel avertere
plane valeat, pro tenuis ingenii viribus enodandum nobis
Specimine Inaugurali sumimus. Faxit Deus feliciter!

§. II

Quo vero accuratius in re nostra versemur, haud
abs re erit, quædam ex Physicis hic repetere; ubi qui-
dem in genere monemus, nos illi theoriæ, quam circa
hoc meteoron exhibet MUSCHENBROECK l. c. inherere,
bene interim persuasi, & hancce non ex asse omnibus
explicandis phænomenis rite sufficere; illam tamen inter-
haec tenus cognitas esse optimam. Cum eodem ergo con-
tenti sumus tribus Fulminis speciebus, quarum prima
oritur a sulphurea materia, quæ in terra visceribus ac-
censa, sursum erumpit ex solo. Secunda a materia ar-
dente in alto Coelo deorsum in terram labente. Tertia
ab electricitate per aërem atmosphæricum diffusa & den-
sata. Hæ enim sole fere species, & in primis ultima,

trucu-

truculentos illos, de quibus infra §. V. in animalibus edere solent effectus. Obscuram autem harum trium Fulminis specierum, jam olim videtur habuisse SENECA *Nat. Quest. L. II. Cap. 40.* quando dicit: *Fulminum genera sunt illa, quod terebrat, quod discutit, quod urit.* Ubi quidem illud, *quod terebat*, videtur convenire cum tertia nostra specie, quæ est flamma crispulans, fulgentissima, quæ subito orta, undosis aut serpentinis ductibus prærapida celeritate, per aërem fertur, sæpe cum ingenti fragore, aut durante mugitu desinit MUSSCHENBROECK *L. c. §. 2528.* quoniam, uti SENECA *I. c.* addit, *subtile est & flammeum, cui per angustissima fuga est, obfinceram & puram flammæ tenuitatem.* *Quod dissipat,* idem fere est ac secunda nostra species, quam MUSSCHENBR. *I. c. §. 2526.* ad bolidem aliquo modo referri posse ait, *conglobatum enim est & habet admixtam vim spiritus coacti & procellosi.* . . . *bujus lata sparsa vis rumpit ita, non perforat.* SENECA *I. c.* *Quod urit*, quoniam multum terrei habet, & igneum magis est quam flammeum, & itaque relinquit magnas ignium notas, quæ percussis inhaerent, ex descriptione, quam de prima specie MUSSCHENBR. *L. c. §. 2523.* dat, cum eadem magnam habet convenientiam, & licet omnes tres species urant, hoc tamen SENECA proprie igneum dicit, quod manifesta magis ardoris vestigia imprimit; quod quidem iterum diverso modo, diverso gradu, fieri posse addit, unde deinceps & hac ratione diversitas illarum trium specierum apparet. Ex hacce Fulminum divisione juxta SENECAM, quæ fere usque ad MUSSCHENBROECKIT tempora ab omnibus fere Physicis recepta fuit, ortum forsan quoque duxit ille communis Germanorum modus loquendi, quando Fulmen omnia obvia fortissimo igne incendens, destruens, disrumpens, metalla fundens &c. observarunt, dicant es ist ein heisser Streich: sequentes in hoc aliquo modo

modo veteres, qui talia Fulmina *κεραυνοί*, fumida, fuliginosa appellant; quoniam ut plurimum fumum nigrantem relinquunt in iis, in quæ cadunt locis; e contra, quando talia signa ultiōnis in rebus a Fulmine tactis absunt, aut solummodo levia relicta fuerint, hoc Fulmen einen kalten Streich appellant.

§. III.

Missis ulterioribus Fulminum differentiis, scopum nostrum minus attingentibus, videamus nunc atmosphæræ quoque qualitatem, paulo ante & sub initio tempestatum, ejusque quoque in corpora humana influxum perquiremus. Præcedere tempestates fere semper dies calidiores, aliquos fervida æstate, sub quibus Solis calore attolluntur copiosius in auram exhalationes sulphureæ oleofæ, diximus; vapores hi in aëre harentes a succedentibus semper novis comprimuntur, usque dum nullius amplius compressionis sunt capaces, tunc ultimæ exhalationes, satis alte amplius ascendere non possunt, quoniam aura superior, jam iis ferax, ulteriori earum susceptioni resistit, remanent hinc terræ propiores, id quod peculiaris foetor, ante tempestates nonnunquam observandus nos proprie docet; unde deinceps ille molestus adeo caloris gradus, quem Germani tam bene *eine schwile* Hizæ vocant, oritur. Aër ipse a copiosioribus vaporibus in eo harentibus elatere privatur. Autem interim sanguinis semper calore, idem rarefit, expanditur, & respirationi sic quoque obex ponitur; urde & delicioris structuræ personæ, nec non hypochondriaci anxietatem quandam præcordiorum, vel palpitationem cordis, aut momentaneam quasi lipothymiam sub hac diathesi aëris sentientes, mox futuras tempestates prænuntiant; quæ vero symptomata sensim sensimque evanescent, prouti aër

aer atmosphæræ, per proruimentia fulmina & tonitrua & imbres refrigeratur iterum. Quodsi non contingat, etiam disparente per tempus aliquod tempestate, illam tamen iterum reddituram ut plurimum summa cum certitudine praesagiunt. Et singularis plane est observatio, quam circa hanc rem nobis exhibet OLDENBURGIUS *Aet. Phil. Anglic. ann. 1667.* p. 446. de foemina, quæ quandocunque tonitru percipit, et si e longinquuo, corporis morbo afficitur, debilitatur, stomachi infirmitate laborat, pronaque est in vomitum; in ipso momento incidit in perfectam choleraam & perseverat in vomitu & profluvio ventris, quoad tempestas durat, atque modo violentiore quam solent procurari medicamentis in hunc finem praescribi solitis. Et ita se habuit foemina illa a pueritia. Hæcce sunt, quæ nobis ex physicis necessario præmonenda erant; reliqua B. L. ex Physicorum libris sponte supplebit. Videamus potius ad scopum nostrum proprius accedentes, illos effectus, quos Fulmen in corpore humano excitat, quosque sequentes nos docebunt paragraphi.

§. IV.

Fulmine si tangitur aliquis, vel illico exinde perit, vel non. *Unum animal hominem non semper extinguit, cætera illico,* ait PLINIUS *Histor. Natural. L. II. c. 54.* hunc videlicet natura tribuente honorem, cum tot belluae viribus praestent. *Omnia contrarias incubant in partes;* homo nisi convertatur, vi percussus, non expirat. Superne icti confidunt. *Vigilans ictus conniventibus oculis, dormiens patentibus reperitur.* Hominem ita exanimatum cremari fas non est: condi terra religio tradidit. Nullum animal, nisi exanimatum, fulmine accenditur. *Vulnera fulminatorum frigidiora religio corpore sunt.*

sunt. Quæcunque hic Auctor de fulguritis profert, pa-
 lo attentiori lectori sponte quasi per se obveniunt. So-
 lum illud quod hominem, solum animal non semper
 statim extinguat, aliquo modo in dubium possit vocari,
 cui tamen sententia & recentius inhæsit CARDANUS
 de *Subtil.* & illud, quod omnia contrarias incubent
 in partes animalia, homo nisi convertatur, vi per-
 cuslus, non pereat, accuratio rem quandam mererentur
 attentionem; interim & hoc phænomenon, uti reliqua,
 suam causam in ipsam rerum natura habere poterit, quæ
 tamen adhuc nos latet. Nihil enim magis naturæ con-
 sentaneum videtur, quam quod homo dormiens, per
 consequens naturaliter palpebras clausas habens, eisdem
 a subitanea maxime vividissima & penetrantissima luce af-
 fectus, etiam citra voluntatem, subito aperiat; nec non
 vigilans, oculos ab ejusdem lucis lesionē innoxios gestare
 volens, eisdem statim palpebras contrahat, claudet, si
 in hoc temporis momento feritur, in eodem statu quoque
 reperiatur. Sic itidem naturæ alicui molimini adscriben-
 dum est, quod homo ictsus superne, confidat; cum
 quisvis, ictsus superne advenientes, inclinatione aut de-
 fidentia evitare tentet. Nec minus naturale est, quod cor-
 pora, non nisi exanimata Fulmine accendantur, cum per
 vitam humores naturaliter ubique circulantes, flammam
 capi nullibi finant. Cætera hujus loci momenta ex anti-
 quitate explicanda, quæ vel *fulguritos*, ceu iræ divinæ
 victimas, ultimo honore combustionis privabat; attamen
 inhumationem ex religione non denegabat, uti KIRCH-
 MANNUS de *Funer.* L. I. c. 3. refert: vel ex hypothesi veterum
 Medicorum, illa vulnera inter frigida referentes, quæ ve-
 ro hodie non amplius admittitur vulnerum divisio, licet
 interim DEVAUX *l'art de faire des rapports en Chirurgie*
 p. 509. quoque recentius referat, observatum fuisse in ful-
 gurito quoddam locum, ubi Fulmen ipsum tangebat ma-

gis

gis frigidum toto reliquo corpore. Singularia licet hæc-
ce phænomena nihil tamen sunt in comparatione eorum,
quæ accuratiōrum scrutatorum industria in *fulguritis* de-
texit.

§. V.

Fulmine laſi sive jam illico pereant, sive non, vel
externe hujus laſionis vestigium exhibent, vel non: si
exhibent, modo est vulnus, modo sola ambustio, modo
utrumque simul; si non, maculæ, modo unica, lata, magna,
modo duæ, modo plures, nigræ, fuscæ, lividæ. Hæcce
maculæ rarius ultra cutem procedunt, ita ut subiectæ cu-
ti partes sanæ utplurimum reperiantur. Partes idæ non
nonnquam excoriantur quasi, nonnunquam eschara obdu-
cuntur, pili comburuntur, striis modo latioribus, mo-
do minus latis, modo plane nullis perfunduntur. Vul-
nera vero ipsa nonnunquam sunt profundiora, nonnun-
quam superficialia magis. Eadem maculæ, quæ nonnun-
quam in cute observantur, videntur quoque non raro in
visceribus variis abdominis, in pulmonibus, in cerebro.
Ipsa animalia percussa, si non statim pereunt, tamen
quasi attoniti nonnunquam in terram projiciuntur, in eo-
que statu per tempus manent; loca, vestimenta eorum
dem halitu tetri, foetido, pestifero, fulphureo, penetranti
admodum, magis vel minus imbuuntur, insigni nonnun-
quam exinde respirandi difficultate laborant; dolores ipsis
in parte affecta accedunt insignes, febris supervenit. Non
nonnquam etiam absque ulteriori laſione & ægrotatione,
nisi quod aliquo terrore corripiantur, capillamenta, ve-
stimenta sola hominum accenduntur, comburuntur, imo
quoque absque talibus, solam herniam tonitru produxit
se legitimus EPHEMERID. N. C. Dec. II. Ann. IV. obs. 49.
p. 119. Pulmones utplurimum sani, integri, nonnun-

B

quam

quam maculis supra dictis obsiti, rarissime exusti, sive
ambustionis signa exhibent; nigricantes, contabidi &
multo magis collapsi, quam in alio mortis genere, aper-
tisque pulmonibus, tracheæ rami, ab igne illæsi, sed va-
sa sanguinea inanita, aliquoties observati fuere. Cor sa-
num & ejus ventriculi admodum distenti, ex copia san-
guinis liquidi, non concreti; modo sanguine vacui, uti
& ejusdem auriculae & vasa communia reperiabantur.
Sunt, qui ex Fulmine apoclecticos factos fuisse perhibent,
quod tamen rarius, ut plurimum enim in cerebro nihil
fere præternaturale deprehensem, imo quam maxime fa-
num. Prostant interim observationes, ubi vasa exteriora
meningum turgidiora, nonnunquam sanguine atro, cras-
fo, plena, nec noir in summa cerebri parte lympham
congelatam, intra piæ matris plicas coactam deprehen-
derunt: nonnunquam præter copiam sanguinis insolitam,
in cranii apertione erumpentem, sanguis in duræ matris si-
nubus instar aquæ fluidus, item in ventriculis & basi cere-
bri, inque vertebrarum theca serí magna copia inclusa appar-
ruit, imo & sanguinis ex aure dextra fistiliciditum. Vulnus in
vertice capitis lacerum, modo absque cranii lesione, modo
penetrans, modo cum perforatione cranii per totam suam
substantiam penetrans, pia & dura mater cum cerebri
substantia in formam pultis cum liquore atro mixta dis-
solutæ; baseos cranii interius magis, juxta sellam sphenoï-
deam perforatio, dentesque canini in minuta frustula ru-
pti, musculusque orbicularis labiorum, niger & corru-
ptus interius. Nonnunquam observata fuit, abdominis
& membra genitalis inflatio & intestina separatis abdo-
minis integumentis, una cum stomacho pre inflatione
magno impetu projecta. Vesicula fellea & urinaria, va-
cuæ & collapsæ, cum ureteribus retentione urinæ val-
de distentis, & ossa minutim fracta, contusa sepiissime
leguntur. Horum nunc phænomenorum modo plura
simul

simul, modo unicum aut duo tantum conjuncta occur-
runt; quorum historias legere est in variis EPHEMERI-
DUM *Naturae curiosorum voluminibus* quorum specialiora
loca maxime memorabilia, adhuc inferius indicentur,
vel in BONETI *Sepulchr.* L. I. Sect. II. Obs. 59. & 60. &
L. II. Sect. II. Obs. 45. p. 520. HILDANO *Observ. Chirurg.*
Cent. III. Obs. 26. pag. 209. & seq. DUHAMEL *Hist. Aca-*
dem. Scient. Reg. Paris. pag. 330. *Histoire de l'Acad. Roy.*
des Sciences à 1761. pag. 53. v. MUSSCHENBROECK l. c.
§. 2534. COMMENTAR. Aced. Petrop. T. I. pag. 386. DE-
VAUX *Part de faire des rapports en Chirurgie* pag. 509.
& alii in numeris observatoribus, quos hic allegare su-
perfluum. Inquiramus nunc, qua ratione proprie *Ful-*
mine tacti, illico moriantur, quando præsertim, uti in
plurius talibus subjectis contingit, manifesta mortis
causa, in ipsis cadaveribus nulla appetet.

§. VI.

Iis in *fulguritis*, in quibus causa quædem manifesta
apparet mortis in cadaveribus eorundem, semper aliquod
vulnus vitale maximopere læsum deprehendimus. Rarius
utique contingit hoc & vix inter innumeras observatio-
nes, quas superiori §. allegavimus, quatuor aut quinque
observantur, ubi hoc contigit. Si ergo contigit aut pul-
mones collapsi, inaniti, contabidi, cordis ventriculi
admodum distenti ex copia sanguinis liquidi, non con-
creti, aut quoque sanguine vacui, suffocatione mortuos
eo/dem nobis indicant. Vel cerebrum apoplexice affec-
tum, quod vasa menyngea turgida sanguine fluido,
seri copia in cerebri ventriculis collecta, aut plane san-
guinis &c. nobis indicant, iisdem mortis causa fuit: aut
utrumque simul mortis genus, si nempe pulmones &
cor & cerebrum modis supra dictis læsa deprehensa fuere

B 2

con-

concurrit. Videtur vero utique, in omnibus his memoratis casibus, suffocatio prima mortis causa & apoplexia solummodo ex eadem nata, sola illa ex DEVAUX *L.c.* excepta; eo fere modo, uti in strangulatis aut potius vapore quodam nocivo extinctis, cerebrum nonnunquam appoplectice lœsum observatum fuisse legitur, quemadmodum MORGAGNIUS de sed. & caus. morborum *L. II. Ep. 19. n. 38. Tom. I. p. 185.* ex LANCISIO sinum longitudinalem crassioris menyngis ruptum, puncta sanguinea spissio agmine candidam, medulla cerebri substantiam variegasse refert in tali subiecto; cum fere in modum, ut BONETUS *Sepulchr. L. II. Sect. II. Obs. 45.* in puero Fulmine occiso menynges sulphureis maculis tintatas vidit; quid quod utique ipsi fulguriti instar apoplecticorum, si a Fulmine non statim occiduntur, nonnunquam exinde fatui reddantur, uti illud ZACCHIAS *Quæst. Med. Leg. Lib. II. T. I. Quæst. 15. pag. 186.* quæ fatuitas ipfis nonnunquam, cum dyspnœa remanente, convenientibus medicamentis cedit, uti illud BONETUS refert, *Med. Septentr. coll. L. VII. T. II. p. 150.* Suffocationis modus quoque is quem HALLER. *Elem. Phys. L. VIII. Sect. III. §. 12. T. III. p. 213.* a vaporibus tetris, aliis induci credit; ubi quidem hujusmodi mephitides creduntur aëris elaterem destruere, ut pulmo certe collabatur, & sonus in eo vapore percatur, & in respirante homine sensum faciat, quasi ex vacuo aër traheretur & subito suffocet respiratores, & viperæ in antrum projecta infletur: aut talis, quem a densiori, aut rariori inspirato aëre plerosque repete, dicit MORGAGNIUS *L.c. n. 39.* illo videlicet minima pulmonum vascula constringente, non fecus ac paulo ante dixerat, hoc vero eadem non explicante, ut concidentia, ac corrugata minime sanguinem transmittant. Variæ vero illæ maculæ quasi nigricantes, quibus pulmones, aut cerebrum distinguuntur, vel in Fulmine

mine tactis, vel in aliis eodem quasi modo subita morte præfocatis, quorum supra meminimus; an nobis manifestam mortis exhibeant causam? jure cum MORGAGNIO l.c. n. 9. dubitamus: licet & cum eo, ad suffocationem referri posse non negemus. Indicant interim hæcce nobis, materie quoque fulmineæ vim in nostros humores deleteriam illam, qua eosdem putride resolvere valet, quod ipsa sanguinis fluiditas post mortem in cadaveribus deprehensibilis, nec non ipsarum macularum convenientia, cum illis gangrænodeis, quæ post morbos malignos exanthematicos nonnunquam in iisdem reperiuntur visceribus, ut & sumtum a juvantibus & nocentibus judicium, quo acida quævis & antiseptica egregie se gerunt, nobis ulteriorius manifestant.

§. VII.

Communissimum ergo mortis, quo *Fulmine tacti* pereunt, genus, est suffocatio, rarius apoplexia aut cerebri alia lethalis læsio: apoplexia quoque si accedit, non nisi symptomatica tunc est. Cum vero sæpe sæpius occurat, ut nulla manifesta mortis causa appareat, imo cum sæpius talia phænoomena accedant, quæ vel nullam suffocationem obtinuisse nobis demonstrare possent, vel ab eadem non produci faltem potuisse, qualia sunt, absentia plane ullius læsionis in visceribus vitalibus, ossa in partes minutæ fractæ, cerebrum comminutum &c. ad alias mortis causas inquirendum est; & hinc vaporis sulphurei aut electrici vim & vacui spatii, & terroris, alias claros viros conjungere HALLER l.c. p. 217. dicit. Has tres mortis species potissimum MUSSCHENBR. l.c. §. 2534. obtinere exemplis probat; hisce vero non contentus AHLWARDT *Bronchotheologie* §. 40. p. 135. seqq. quinque modis homines *fulguratos* perire statuit. 1) Terrore &

B 3

metti.

metu. 2) Combustione s. ambustione. 3) Rarefactione humorum & expansione vasorum, indeque inducta stagnatione eorundem, & hinc nonnunquam pendente apoplexia post vasa in cerebro nimis tensa, rupta; tandem 4) suffocatione a densiori aëre. 5) a rariore hincque & feso rarefaciente aëre interno, ubi iterum apoplexia sequi poterit. Hosce modos nunc paulisper sub incudem vocabimus, quidque de iis censendum sit, videamus.

§. VIII.

Quod quidem primum modum attinet, quo homines metu horrendi fragoris & ignis, in quo medii verulantur, stupent, in totum sibi excidunt, & postea difficulter ad se redeunt, aut plane exanimantur; nemo hunc facile in dubium vocabit, qui & a solo terrore alioquin homines mortuos noverit, ejusque effectus in corpus humaanum ponderabit: a metu enim vasa capillaria constringuntur, sanguis ad interiora repellitur, unde transpiratio suppressa, habitus cutis pallescens, livescens, horror, tremor, palpitatio, anxietas, a sanguine in corde & pulmonibus coacervato, & pro ratione partis, quam humores repercussi magis occupant, sopores, deliria, convulsiones, epilepsiae, diarrhoeæ pertinaces, syncope & mors. Ingruente vero tempestate, in delicioris strukturæ personis, etiam alias non meticulosis anxietates & oppressiones pectoris, jam alia ex causa adesse, §. III. monuimus. Quidni fieri in his, qui trepidant & ad quævis Fulgura pallent, uti JUVENALIS dicit; si talis dispositio corporis feso associat; unde non mirum, quod homines ab ingenti tonitru fragore sibi excidisse legamus, tarde ad se redeentes, semen ipsis effluxisse; alvum solutam & vesicam, uti illud de timidis exhibet ARISTOTELES *Probl. L. IV. Prob. 8.* & apud HELMONTIUM *Tr. de*

de Jur. Duumvir. §. 25. p. 291. *Opp.* insolitam cibi abstinentiam in puella Aloftana alias sat petulante concitasse; nec non monente GARMANNO *Ephem. N. C. Dec. II.* ann. VII. & VIII. Ohf. 136. p. 254. ex GALENO de *Thebriac.* mulierem gravidam solo tonitru exaudito, & horribili quodam spectaculo infantem ejecisse, quod IDEM quoque in muliere a partu fere enecta vidit, quæ terrore refuscitata auditu minace tonitru sono, eo ipso momento sanum vegetumque excludit filiolum ipsa & filio lo sanis & superstitibus: Quam obstetricantem meteori hujus facultatem & in aliis animalibus præcipue cervis plurimi quoque Auctores annotarunt. Quid ergo ulterius mirum, si mors plane a solo terrore subsequatur, cum quoque vel a solo nimis fragore surdos aut a vividissima luce coecos redditos fuuisse constet.

§. IX.

Quo modo *Fulgurati* suffocati, indeque nonnunquam apoplectici pereant, superius §. VI. jam diximus; sive jam illud fiat a densitate, sive a raritate aëris externi vel interni, hincque dependente inanitione, aut constrictione vasorum, nec non ruptura in aliis locis. Sufficiat monstrasse utramque aëris qualitatem, sub tempestate obtinere posse: densiorē quidem aërem jam §. III. probavimus, tunc temporis adesse; sed & illo præcipue temporis momento, quo Fulmen quendam tangit, atmosphäram ejusdem subito rarefieri debere, nemo facile negabit, qui ipsum tonitru, aëris atmosphärici densioris subito rarefacti & iterum in locum vacuum irruentis, cum impetu, effectum esse noverit: modum vero quomodo rarefactio, aut condensatio aëris homini mortem inferre poterit, nos docet v. HALLER *l. c.* Nullum ergo mirum, si sub priori casu rarefacto aëre ambiente, inter-

nus

nus sese eodem modo expandet, unde suffocatio, ab expansis nimiris vasibus pulmonalibus; aut plane a crepatura vasorum in cerebro, sanguinis ex ore & naribus profluvium, veluti in aliis animalibus, qui sub campana moriuntur in vacuo, apoplexia. Hanc vero evolutionem aëris interni, in *fulguritis* nos non solum docent uniflescentia abdominalis, absque nota externæ lœsionis post mortem, sed magis adhuc observatio GARMANNI *l.c.* p. 252, quia in vivente etiam adhuc puella rustica, a Fulmine attorta, & ad integrum mentem post redacta, abdomen intumuisse vidit, qui tumor, abdomini externe linitimenti aëxteriis, lenientibus & discutientibus calefactis illito, intusque exhibitis bezoardicis & carminatibus, tertia ab ictu die cessavit. An vero hæcce expansio aëris interni, in omnibus corporis animalis partibus deprehensibilis, etiam ossa comminuere valeat? uti illud AHLWARDT *l.c.* §. 44. p. 150. contendit, de hoc §. sequenti ulterius.

§. X.

Haec tenus de illis modis solummodo actum fuit, quo suffocati pereunt miseri fulguriti; nam & qui a terrore moriuntur, suffocatos discedere ipsa phænomena a terrore inducta nos docent: nunc vero nobis quoque venit considerandus ille, quem recentiorum plures, inter quos præcipue MUSCHENBR. *l.c.* admittunt; quo nempe ingenti electricitatis, qua animalia perfunduntur vi, totum corpus permeante, tenerrima vitalia vasa, imprimis cerebri & cerebelli destruuntur, franguntur. Magna utique observatur ignis electrici, cum æthereo illo nostro Fulmine analogia; imo hodie conjectum est, aërem athmosphericum electricitatis esse nonnunquam, plenissimum, illo præcipue tempore, quo fulminat; conjectum est quoque per ipsam electricitatem instrumentis excitatam, anima-

animalia minora posse trucidari. Quid ergo obstat, quo minus majora animalia a fortiori igne electrico, aut majore electricitatis copia interire queant, non videmus. Sed quomodo iterum pereunt animalia electricitate? In omnibus et si nulla externa appearant laesiones signa, tamen pulmones fracti effluente sanguine, cerebrum iterum lesum, rubræ in cute maculae persistantes, evolutum aërem internum nobis indicant, qui hic eodem modo agit, uti §. superiori diximus. Si interim aliquis vellet negare minime huncce evolutum aërem ipsa ossa in tam minutis partes diffingere posse, illud idem phænomenon a sola electricitate indeque turbata cohæsione partium derivet, eo modo, quem nobis de arboribus indicat MÜSSCHENBR. l. c. §. 2536. quando dicit: *Penicillus radians electricus, apici tubi ferrari aubærescens, format flammulam valde divergentem, quo amplius a ferro absit: Quidni igitur fulmen electricum admodum densum involare apicem arboris malique posset.* & in cursu per hæc corpora se explicans, canales frangere, removere, adeoque lignum findere, tum & si intra lignum & corticem cucurrit, a ligno corticem avellere; fere uti BORELLUS Hist. & Observ. Phys. Med. cent. II. obs. 38. p. 139. de Fulmine quodam refert, quod foeminam quandam in unico loco capit is tetigit, illudque adeo emollivit, ut cutis & caro a cranio separarentur, unde ante & retro ad anum usque descendit; per me licebit: sed & perpendat idem phænomenon eundem Clar. Virum ab aëre in canalibus arboris delitescente, palintonia se quoquoversus explicante, canales in quibus inest explicando frangente findenteque deduci posse, asserere, eum in modum uti nonnunquam alæ molaram aliaque ligna finduntur; & hoc modo quoque ossium in minutissimas partes comminutionem in animalibus a Fulmine tactis explicat quoque AHLWARDT l. c.

S. XI.

Supereft, ut & de eo modo loquamur, quera idem
C AHL-

AHLWARDT l. c. §. 41. admittit, quo nempe combustione moriuntur, non quidem ita, ut in cinerem usque redigatur totum corpus statim, sed eo modo comburatur, uti ab aliis ignis speciebus homines consumtos esse legimus. Nonne vero & hicce suffocati antea pereunt, antequam comburuntur, ab aëre præcipue rarefacto, hinc eodem modo uti §. VI. & IX. diximus, & uti illud probat ZACCHIAS *Quæst. Med. Leg. L. V. Tit. II. Quæst.* 1245. & quis observatorum hucusque hujus ambustionis vestigia in visceribus vitalibus, quæ sola tali ambustione læsa mortem inducere possent tam subitaneam, nobis adhuc demonstravit, ni BONETI II. cc. observationes huc referre velis, ubi vel in una pulmonis pinula in fine uentionem quandam apparentem, aut ipsas menynges, maulicis quasi inuistas refert; sed & de his jam actum & præterea hæcce levis in pulmone ambustio causæ subitanæ mortis minime esse poterat, cum & vulnera levia pulmonum, præcipue si vas majus nullum earundem læsum fuerit, haud ita lætalia reputentur. Quodsi interim quis objiciat, *Fulmine tacti*, qui non statim pereunt, tamen nonnunquam eodem, altero quoque die exinde pereunt, unde hoc fit? illud deinceps mortis genus, si nulla suffocationis adfuerint symptomata, denique vel ab ipsa vulneris lethaliitate, vel gangræna accidente, sive jam a nimia materiæ fulmineæ virulentia, nulla arte amplius corrigenda, sive a neglectis nimis diu convenientibus remediis, sive ab alia causa inducta fuerit, derivandum veniet. Habemus ergo in omnibus memoratis casibus semper suffocationem primariam mortis *fulgoratorum* causam, & ad hancce igitur in illis, quibus subvenire adhuc datur, primario semper respiciendum erit. Illud mortis genus, quo a Lapide fulminari sive Ceraunio homines interfici veteres crediderant, hic saltem obiter tangimus, quoniam per satis longum tempus hæcce opinio adhuc recepta fuit, quam tamen recentiorum Physicorum

corum accurata magis & fidelior observatio proscriptis,
cum hujus lapidis imaginariam esse existentiam inven-
rint.

§. XII.

Qui a Fulmine non statim exanimantur, illis arte,
quantum fieri poterit, citissime succurrentum, & qui-
dem cum fere semper suffocationis metus potissimum ur-
geat, ab impedito sanguinis per pulmones circulo; hunc
primo restituere tentandum, dein & vulneris inflicti ha-
benda est ratio. Cum vero duplice modo fieri possit, ut suffo-
cationis metus adsit, vel a sanguine nimis verbus interiora
principie vala pulmonalia reperculo, uti a terrore, vel ab
eorundem pulmonalium inanitione, collapsu, constrictio-
ne, tamen uno fere eodemque modo, hic succurrere conve-
nit: cum praesertim non semper nobis manifestetur statim
peculiaris ille suffocationis modus. Igitur liberoris san-
guinis circuitus, per ipsam venæsectionem revulsoriam
tentanda est restitutio; qua simul cerebrum ab in-
stante apoplexia, nec non, cor & pulmones, a copia
suffocante sanguinis liberamus. Hæcce præterea, pro ne-
cessitatis casu nonnunquam repeti debet, si aut suffoca-
tionis metus perdurat, aut ipsam inflammationem subse-
quentem metuimus; qua iterum nullum præstantius in
hoc casu remedium. Quodsi quoque, uti nonnullis in
casibus fieri solet, præcipue propter sumnum conjun-
ctum terrorem, sanguinis e vena fœda effluxus, non suc-
cedere vellet, ob inanitionem & constrictionem vasorum
exteriorum, tunc ipsius ad exteriora derivatio, per alia
simil medicamenta erit adjuvanda, vel ex - vel interna,
ubi quidem externe se se commendant fôtu, frictiones,
balnea calida extremitatum, enemata stimulantia, præci-
pue clysteres tabacini, quibus interne conjungi debent
alexipharmacæ, cardiaca, salia illa volatilia, theriacalia,
essentiæ & tinturæ variae excitantes, stimulantes, mo-

tum humorum provocantes, augentes, derivantes ad habitum cutis. Medicamenta hæc interna iis etiam in casibus eximie se gerunt, ubi lensor humorum, dejectum fibrarum robur, aut tonus solidorum imminutus, lipothymæ, syncope Fulminis tactum vel mediatum vel immediatum fuerint secuti. Ad gangrænam vero & corruptionem humorum, quam materia fulminea nonnunquam iisdem conciliare solet, quamque malignam ejusdem & satis venenosam vim, teter & pestiferus ipsorum *fulgoritorum* odor, summa sanguinis fluiditas, ipsæ maculæ gangrænodeæ in interioribus cadaverum visceribus nonnunquam reperiundæ, nec non ipsorum cadaverum tumescientia, nobis indicant; & ad febrem, quæ nonnunquam quoque *fulgoratis* supervenire solet, præcavendum, melius adhuc illis substituuntur, vel lenioribus eorundem faltem maritantur, antiphlogistica, nitroſa, camphorata, subacidæ, etiam aliquomodo fortiora acida, uti acidum sulphuris, antiseptica, ubi iterum & Cortex nobis venit celebrandus. Et eundem in modum dirigi fere debet cura externa, ubi quidem præstantioribus medicamentis, quos Chirurgi alioquin ad ambusta laudare solent, vel cataplasmata, vel unguenta, epithemata, pulvères aliaque, semper talia jungi debent, quæ & contra gangrænam faciunt: exquisitora topica antiputrida hic præ aliis sese commendant, folia ratæ, scordii, angelicæ & vincetoxici radices, succus nicotianæ, saniculæ, pyrolæ, theriaca, mithridatium, cæpæ cum sale aliaque, ex mente HILDANI Lib. de Combyſt. Cap. 16. pag. 934. cum quo consentit & LIEUTAUD *Synops. univers. Prax. Med. Pars I.* pag. 327.

§. XIII.

Hanc viam in curando hoc affectu saniores omnes Medici servant. Fuere tamen & hodie forsan adhuc dantur multi præclarí ceteroquin in arte Viri, qui præeunte HILDANO l. c. a purgantibus & venefictione abstinendum

dum esse ajunt, nisi aliqua particularis occasio adfuerit, ubi consulendus est Medicus; quarum curationum exempla invenire datur in EPHEMERIDIBUS Nat. Curios. inter quæ hujus loci olim Medici TH. BEZÆ methodum allegasse sufficiat l. c. Dec. I. Ann. II. Obs. 37. p. 69. Solis hi viri cordialibus humectantibus, refrigerantibus interne tractandos ægros præcipiunt: qui vero & ipsam inflammationem & suffocationem, hincque nonnunquam dependentem apoplexiā, semper fere esse metuenda considerabit, de venæfectione quoque semper fere celebranda haud amplius dubitabit; et si lipothymia & vires prostratae, iis illam contraindicare videantur, quæ utique vires optime iterum refocillantur, validioribus cardiacis & analepticis, in vel externe adhibitis; tamen cum ipse hæcce lipothymia orientur, maxime a suppressione liberiori spirituum motu per cerebrum, propter sanguinem in vasis ejusdem in majori copia collectum, nec non, propter impeditam eorundem secretionem ab eadem causa, vel quoque a fanguine ipsa vasa pulmonum & cordis nimis occupante; optime iisdem iterum per venæfectiones revulforias succurrimus; imo venæfectionis in hoc affectu utilitatem, jam inter antiquiores, contra ipsum HILDANUM & ejus affeclas; ex eodem argumento agnovit KOHNNIUS Ephem. Nat. Curios. Dec. III. Ann. 9. § 10. & cum eo BEHRENS loc. cit. Cent. I. § 11. Obs. 28. pag. 90. & ante hos BORELLUS l. c. Remediorum vero cardiaco-rum, refrigerantium &c. usus, per sat longum tempus, cum diæta refrigerante, subacida, roborante & bene nutritiente, absque tamen, ut exinde stomachus patiatur, debet continuari; quoniam in Fulmine tactis debilitatem quandam fere semper observarunt, talem quidem nonnunquam, quæ ingruentibus aliis tempestatibus, cum doloribus nonnunquam admodum sensibilibus, nec non convulsionibus sese perceptibilem magis reddit, uti illud observavit CUMMENUS Eph. Nat. Curios. ann. II. Dec. I.

obs. 182. p. 295. in foemina Fulmine tacta & curata ab ipso, cui ingruente tempestate insignes dolores & motus convulsivi finistro in pede superveniebant & pudendum per totam vitam debile manserat. Æstus interaneorum peculiare quoddam *fulgoritorum* symptoma, lipothymias excipiens, de quo conqueruntur ægri, moneat LIEUTAUD l. c. restinguatur optime, aqua succo limonum imprægnata, aliisque refrigerantibus & demulcentibus. Laxantibus & vomitoriis hoc in affectu nullus fere locus, nisi aut prioribus febre, quæ nonnunquam supervenire solet profligata, aut posterioribus depleta, jam satis massa humorum & ejus fluento a cerebro & pulmonibus magis derivato, si ventriculuin adhuc multum prægravatum cognoverimus, quod præcipue eo in casu obtinere poterit, si infortunium post pastum statim acciderit. Sint interim priora quoque ex classe emollientium, lubricantium, humectantium, refrigerantium tantum.

§. XIV.

Fuere ab omni tempore meticolosi Fulgura paulo infirmius expavescentes, qui variis tentaminibus se a Fulmine tutos reddere posse credebant. An vero utique aliquid sit a Fulmine tutum? summo jure dubitare adhuc licet; cum & ea, quæ hactenus excogitarunt ad hanc rem, vix ex aſſe satisfaciant. Examinemus paulisper potiora: *Lauri fruticum non icit fulmen*, ait PLINIUS l. c. cap. 55. Non feriri domum in cuius tegulis Sedum vireat, JOH. BAUINUS Hist. Univ. Plaut. L. XXXV. c. 8. ex superstitioſa vulgi opinione refert, unde & ipsi herbæ Germani nomen dederunt das Donnerblat, Donnerbart, quam & hinc plane rejicit. Paridi altiores ſpecies tutifimos putant, aut tabernacula e pellibus belluarum, quas vitulos appellant; quoniam hoc ſolum animal ex marinis non percūiat, ſicut nec e volucribus aquilum, quæ ob hac armiger hujus teli fingitur, PLINIUS l. c. autor est. Ideo forſan quoque de AUGUSTO legimus apud SUETO-

NIUM

NIUM in vita ejusdem c. 90. p. 315. quod ubique pelle
vituli marini circumferebat, pro remedio a Fulmine; at-
que ad omnem majoris tempestatis suspicione, in abdi-
tum & concameratum se reciperet locum. Et apud Mus-
SCHENBR. l. c. §. 38. de Imperatoribus Japonensibus,
quod se sub piscina non male abscondant: eo præjudi-
cio, Fulminis ignem ab aqua extinctum iri. Quam vana
vero hæc præsidia, experientia comprobavit, quæ & in
abditas satis speluncas, in ipsam aquam, in domus semi-
pervivo in tectis floridas Fulmen penetrasse, nos do-
cet. Recentiorum vero, an industria in hoc felicior?
qui electricitate artificiali, vel Fulmina avertere, vel
infringere tentarunt. Vix adhuc hæcce experimenta
etiam magno cum successu a summis in arte Viris,
potissimum FRANCKLINO, instituta plurimis satis-
facient, cum levissimus in experimentando error in-
fortunium, quod alias forte non accidisset, quale quid
RICHMAÑNO olim quid contigit, producere valeat. Vix er-
go credimus, quod homo pelli vitulina indutus, aut si quis
se condat in tugurio, quod ab omni parte cera sigillari His-
panicæ, aut craffa pice, admodum electrica, oblinere-
tur, intrinsecus & extrinsecus, vel pellibus Castorei ve-
stitum foret intrinsecus, aut foliis vestimentis laneis, aut
serico coeruleo indutus, satis sit a Fulmine tutus: illud in-
terim minime negantes, tales homines ex rationibus phy-
sicas, quod hæc corpora jam per se sint electrica, hinc
que electrica Fulmina haud ita facile in eadem involent,
tutiores saltem esse iis, qui aut metallæ gestant eodem
tempore, aut vestimentis, tantum lineis induiti fuerint.
Mittimus jam alios modos, quo vel explosione tormentorum bellicorum, a vehementi aëris concussione nubes
discrepantur, vel pulsatione campanarum ab oscillatione
aëris vi soni idem obtinere tentant, ceu remedia minus tuta
& eo in casu solummodo adhibenda, ubi in vicinia adhuc
versatur tempesta, & a quibus si imminens jam erit, statim


cef.

cessandum, cum præcipue & metalla electricitatem attrahere nōverimus, & per observationes constiterit, illas turres & templa, ubi campanæ non pulsantur, minus a Fulmine tacta fuisse, quam ea, ubi campanæ sonuerant, unde & cum Nob. DUHAMEL *Hist. de l'Acad. Roy. des Sc. a. 1747. p. 58.* hoc remedium proscriptit MUSCHENBROECK *l. c. §. 2543.* de priori adhuc dubitans, num alicujus usus in hac re sit.

§. XV.

Plura quidem adhuc possent circa hanc rem proferri, quæ vero partim, quod ad Physicam specialiorem spectent, hinc Medici minus fori sint, consulte præterimus; sufficiat hic verbo tetigisse illum errorem vulgatum, quo animalia a Fulmine tacta putredini resistere, præeunte PLUTARCHO *L. P. Sympos. quæst. 20. p. 279.* plurimi & Medici crediderunt, quos tamen jam refutavit GARMANNUS *Eph. Nat. Cur. Dec. II. ann. 10. obs. 186. p. 263.* ex eo capite, quod fulgoriti paucis a fato horis, magnum in modum intumescant, cadaverosum virus exhalant, adde, quod semper sanguis fluidus deprehendatur, nullibi fere congruatus; manifesta resolutionis putridæ indicia: quid quod jam SENECA *L. II. Quæst. Nat. cap. 31.* dixerit: *Fulmine iti intra paucos dies verminant.* Et hujus phænomeni non obliviscamur, quo Fulmen nonnunquam salutare fuisse constituit, quale quid supra jam circa tonitru virtutem obstetricantem produximus, & quale quid in Dario Gallico, quod GAZETTE LITTERAIRE vocant, *T. V. p. 8.* legitur, quo Fulmen paralyticum quendam curavit desperatum, instar machinæ electricæ. Cui interest scire, unde *Fulmine iti cognoscantur mortui inventi, illud ex signis, quæ ab initio de Fulgoritis protulimus, poterit cognoscere,* & si ampliorem quendam circa eandem rem tractationem legere optat, adeat ZACCHIAM *P. V. l. c.* Et hic speciminis academici de *Fulguratis* esto

F I N I S.



VD 18

ULB Halle
008 342 954

3



Farbkarte #13



B.I.G.

ERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
AMINE TACTIS
QUAM
IVINIS SUB AUSPICIIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
OSÆ FACULTATIS MEDICÆ
RO LICENTIA

*S IN ARTE MEDICA HONORES
T PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI*

LMA ARGENTORATENSIMUM
UNIVERSITATE

ENNI ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT

GUILLIELMUS VOLLMAR
ROETELA-DURLACUS

M XXIV. AUGUSTI A. R. S. MDCCCLXV.

H. L. Q. C.

ORATI, Typis JOH. HENRICI HEITZII, Univ. Typ.